

EPISTULA LEONINA

LIX

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LVIII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

Index of leonina <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

**EN HABES EPISTULAM LEONINAM
 QUINQUAGESIMAM QUINTAM (59) !**

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS

SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam undesexagesimam.

Inter omnes constat Ecclesiam catholicam in magnum discrimen adductam esse. At de eâdem servandâ et augendâ alii aliter sentiunt. Hac in Epistulâ Leoninâ primo loco leges de iis, quae Papae Francisco videntur; sed audiatur et altera pars: altero loco loquetur Matthias Gaudron, Fraternitatis Sancti Pii theologus dogmaticus. Tu autem butyrum et mel comede, ut scias reprobare malum et eligere bonum.

Tertio loco invenies partem illius symbolae Wikipedianae tertiam, quam tribus ferê annis ante coepi in Latinum vertere. Ut verum confitear, haec symbola (aliter ac illa Senecana) quibusdam ex partibus digna est, quae corrigatur suppleaturve; at scias interpretis non esse verba auctoris emendare, sed quam fidelissimê convertere.

Utinam quam plurimê placeat tibi lectio huius Epistulae Leoninae undesexagesimae.

Pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat


**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Solis, 06. m.Oct. a.2013



**Ο ΜΕΝ ΒΙΟΣ ΒΡΑΧΥΣ
Η ΔΕ ΤΕΧΝΗ ΜΑΚΡΑ**

ARS LONGA VITA BREVIS

**HIPPOCRATES
460-370 a.Chr.n.**

Cinaedi, mulieres, abortio: Papa ecclesiam peragitat

Novo Eboraco ex urbe refert Marc Pitzke, in Latinum convertit Nicolaus Groß.



Papa Franciscus: "Ecclesia eget mulieribus"

Ecce Franciscus reformator: Papa colloquio interrogatorio hominibus movet admirationem ecclesiamque quodammodo torpentem studet raptim revivificare. Verbis ad moralitatem sexualem spectantibus, qualia e sede Vaticanâ usque nunc numquam facta sunt, Franciscus pugnam indicit fundamentalistis – necnon lacrimas concitat eorum, qui a fide catholicâ desciverunt.

Papa amat modum habitandi frugalem. "*Simplex, immo egenum*" esse parvum conclave visitator describit, quod in domo convivarum Vaticanâ inhabitat Franciscus. Vix libros inesse, vix chartarum, perpauca artificia: "*Iconem Sancti Francisci, statuam Carae Nostra Dominae oppidi Luján, patronae Argentinae, statuam Sancti Iosephi dormientis.*"

Visitator, qui haec adnotat, est *Antonio Spadaro*, redactor periodici Iesuitarum Italici, c.t. "*La Civiltà Cattolica*". Idem ter receptus est a Papâ Francisco, ipso Iesuitâ, in *Casâ Sanctae Martae*, ut haberent colloquia valdê familiaria, quae nunc complectuntur primum magnum colloquium cum Pontifice Magno factum.

Verba Papae in hōc colloquio facta hac septimanâ ubique terrarum publicata sunt in sedecim periodicis Iesuiticis, inter quae est etiam Monacense, c.t. "Voces temporis" („*Stimmen der Zeit*"). Quae verba sunt maximê miranda et inexpectata.

"Peccator sum"

Franciscus non tollit quidem dogmata. At îdem archiepiscopus quondam Bonaeropolitanus – ut multi iam diutius praesenserunt – pandit se esse reformatorem, ne dicamus revolutionarium: Papa eo, quod non veretur, ne ecclesiam suam exterreat monens, ut eadem desinat se ipsam considerare sedem censurae moralis, et hominibus criticis et a fide catholicâ aversis inicit novam spem.

Franciscum apertê pugnam indicit viris Vaticanis vetustati propitiis

Cinaedi, mulieres, abortio: Franciscus apertê atque humaniter loquitur de rebus, quae sub Benedicto XVI. praecessore suo aut tractari non licuerunt aut more fundamentalistarum sunt condemnatae. Nonnulla cogitata – velut ad amorem homosexualem spectantia – iam leviter tetigerat, sed numquam antea tam fusê tractaverat. Praecipuê in Americâ Latinâ et Australi, sacerdotum conservativorum propugnaculis, haec verba Francisci vim habebunt vehementissimam.

Ex mensibus Franciscus exurgit adversus viros Vaticanos vetustati propitios, cum verbis gestibusque in publicum prodiens. At hîc colloquio Papa tam apertê indicit pugnam, ut quadamtenus assequatur dramaticam περιπέτειαν ecclesia catholica viescens, quae timore percussa vehementer annititur de sede suâ saeculo vicesimo imponendâ.

Franciscus quid dixerit de homosexualibus:

"Bonaeropoli accepi epistulas a personis homosexualibus scriptas, quae sunt ‚vulnera socialia‘, nam eadem semper sibi videbantur ab ecclesiâ condemnatae esse. At hoc ecclesia non vult (...). Si quae persona homosexualis est bonae voluntatis et Deum quaerit, ego nemo sum, qui eam condemnet (...). Aliquando aliquis me ut provocaret interrogavit, num comprobarem homosexualitatem. Ego illi respondi alterâ interrogatione: ‚Dic mihi: Deus si personam videt homosexualem, consideratne hanc rem cum caritate an condemnat eam recusatque?‘"

Franciscus de mulieribus quid dixerit:

"Mulieres quaestiones proponunt graves, quibus nos respondere debemus. Ecclesia non potest esse ipsa sine mulieribus personâque, quam gerunt eadem. Ecclesia eget mulieribus. Maria – quae fuit mulier – plus valet quam episcopi (...). Itaque necesse est mulieres in ecclesiâ magis repraesentari. Etiam magis studendum est theologiae profundae mulierum (...). Genius muliebris necessarius est locis, ubi gravia decernuntur."

Franciscus de ecclesiâ quid dixerit:

"Haec ecclesia, quacum debemus cogitare et sentire, est domus omnium – non parvum sacellum, quod neminem recipiat nisi parvos greges personarum electarum. Nobis non licet ecclesiam universalem deminuere ad nidum mediocritatem nostram protegentem. (...). Necesse est inveniamus novum aequilibrium, alioquin aedificium ecclesiae morale collabatur tamquam domus e chartis lusoriis composita. (...). Animo commoto accipimus querelas, quae Romam afferantur de rectae fidei defectu".

Hôc colloquio accepto alii homines aliter dixerunt. Alii sunt animis vehementer affectis, alii frigidè indignantur. *"Ecce revelationem"*, scripsit *Andreas (Andrew) Sullivan*, US-Americanus auctor interretialis bene nôtus cinaedus catholicus, qui de fide suâ dubitans variis in spectaculis collocutoriis apertè loquitur. Îdem verbis papalibus plurimum commotus colloquium illud vehementer laudans appellavit *„En quot animarum balsamum!“*

Iacobus (James) Martin, redactor praepositus periodici Iesuitarum, c.t. „America“, cui infuit colloquium illud, dixit quendam virum colloquio perlecto secum telephonantem evocasse: *"Hôc colloquio mutata est vita mea"*. *Thomas Reese* autem in periodico, c.t. „National Catholic Reporter“: *"Numquam“* inquit *„magis gloriatus sum, quod sum Iesuita, numquam magis gloriatus sum de ecclesiâ meâ quam hôc colloquio accepto“*.

Ipsè *Bill Donohue*, praeses Ligae Catholicae (*Catholic League*) conservativae a diurnariis ipsius CNN interrogatus dixit *"Animus meus affectus est suavissimè"*, - at quodam cum acumine. Nam sub Francisco quoque Papa non reverâ aliquid mutatum iri: *"Is quoque non mutabit ea quae ecclesia docet de connubio cinaedorum, is quoque non mutabit ea quae ecclesia docet de abortione."*

Similiter auctor *Damon Linker* in ephemeride, c.t. „New Republic“ irridet nonnullorum *„reactionem beatam“*: *"Licet his verbis indicetur papam se avertere a paparum Iohannis Pauli II. et Benedicti XVI. elocutione rhetoricâ, tamen oportet catholici progressivi intelligant hanc mutationem ad verba tantum spectare, non ad res faciendas, et verisimile esse mutationem talem mansuram esse."*

"Quis est Georgius Marius Bergoglio?"

Iam statim post Benedicti abdicationem mense Martio factam, ante electionem Francisici multi christifideles catholici desideraverant „ver catholicum“: speraverant ecclesiam transformatum iri, quae sibi videretur scandalis abusûs sexualis infamata, rigore rituum obsoletorum debilitata,

progressu sociali technicoque relictâ. *Michael d'Antonio* criticus ecclesiae postulabat, ut Vaticana sedes aut viam inveniret „*in mundum modernum ferentem*“ – aut „*auctoritatem moralem*“ amitteret.

Îdem *Michael d'Antonio* animo sibi finxit pontificem „*modestum*“ – „*papam verê humanum*“. Biduo post ascendit fumus albus, et ex *Georgio Mario Bergoglio* factus est *Franciscus*.

Spadaro scribit: „*Cum Papâ Francisco colloqui id est quodammodo accipere fluentum idearum vulcanium, quae inter se connectantur. Etiam si quae noscenda mihi noto, iniucundê mihi videor dialogum scaturientem interrumpere.*“

Talem dialogum catholici non acceperunt inde ex Secundo Concilio Vaticano, quod factum est ante dimidium saeculum, ne dicamus iisdem ipsis licuisse talem dialogum habere. Haec novitas iam incohatur primâ Spadaronis quaestione libero ore prolata: „*Quis est Georgius Marius Bergoglio?*“

Ecce Papam errores suos recogitantem

Responsio Francisci haud minore cum libertate prolata: „*Peccator sum. Haec est definitio rectissima.*“ Concedit „*errores graves*“, se prius, cum diceret ageretve nimis acriter celeriterque, crimen accepisse cogitationis „*ultraconservativae*“. At reverâ se nequaquam esse talis indolis. Incredibile dictu: Papa errores suos recogitans.

Franciscus etiam apertê dicit se, cum a medico dentario curetur, orare neque sibi placere habitaculum papale in Palatio Apostolico more tradito instructum. Sed se amare cinema illius *Fellini*, c.t. „*La Strada*“, praeterea picturas pictorum *Caravaggio* atque *Chagall*, opera auctorum *Dostojewski* et *Hölderlin*.

His verbis Papa non facit fucum. His mensibus Franciscus paupertatem puramque caritatem verbis factisque efferens iam patefecit se adversari hierarchiae theologicae: animum suum esse apertum, humilem, res rigore torpentes revivificantem. Nonnulli autem haec acerbê accipiunt, velut *Thomas Tobin* episcopus US-Americanus: Qui hac septimanâ dixit se esse „*aliquatenus spe deceptum*“, quod Franciscus nil diceret de „*malo abortionis*“.

Francis nunc respondit haec: „*Non potest fieri, ut nullas quaestiones tractemus nisi abortionem et connubia homosexualia et methodos anticonceptivas. Hoc non potest fieri.*“

Hanc relationem d.20.m.Sept., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „spiegel online“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: «*Schwule, Frauen, Abtreibung: Der Papst rüttelt die Kirche auf*».

Gaudron frater Sancti Pii: "Ecclesia Germaniensis est collapsura"

Scriptis Anna-Katharina Blaß, in Latinum convertit Nicolaus Groß.

Membra Fraternitatis Sancti Pii contemnunt homosexualitatem, libertatem religionum, oecumenismum. Papa Benedictus studuit cum hac communitate archicatholica dialogum facere, sed eius successor cursum tenet alium. *Matthias Gaudron* theologus dogmaticus in colloquio interrogatus loquitur de ratione quae inter Franciscum Fraternitatemque intercedit difficili.



Gaudron frater Pii: Inter Papam Pique Fratres factum esse silentium

Papa Franciscus apparet se esse papam reformatorem. Qui vult ecclesiam catholicam aperire et cinaedos accipere et dialogum cum aliis religionibus fovere. Qui desiit colloqui cum Fratribus Pii.

Haec est pars quoque itineris, quod papa facit ad ecclesiam, quae non iam opposita est realitati sociali: Nam Fratribus Pii persuasum est veros catholicos non pati cinaedos ecclesiae participes missamque celebrandam esse secundum ritûs antiquos. *Matthias Gaudron* est Fraternitatis Pii theodiscae theologus dogmaticus praecipuus. Îdem per 15 annos in *Seminario Sacerdotali Cordis Iesu Zaitzkofensi* docuit disciplinam dogmaticam tractatque argumenta doctrinae fidei catholicae. Matthias Gaudron in colloquio interrogatus explicat, quid Fraternitati videatur de Papâ.

SPIEGEL ONLINE: *Benedictus XVI.* studuit *Fratribus Pii* appropinquare. Nunc in cathedrâ Petri sedet Papa *Franciscus*. Quid speras eius pontificatu factum iri?

Gaudron: Hôc tempore colloquia inter Fratres Pii et Vaticanam Sedem facienda frigent. Sub Papâ Benedicto per quoddam tempus visa est permitti reprobatio Concilii Vaticani Secundi. At nunc patefactum est nobis non permitti, ut reprobemus. *Gerhardus Ludovicus Müller* archiepiscopus congregationis fidei praefectus cum sit, munere suo spectat ad nos. Qui nos non diligit. Qui nobis non favet, ex quo Romae versatur.

SPIEGEL ONLINE: Franciscus in colloquio suo interrogatorio a multis respecto dixit haec: *"Is qui modum excedit in doctrinae certitudine quaerendâ, qui pertinaciter quaerit res transactas, cogitat ratione rigidâ atque retroversâ. Hôc modo fides religiosa fit una ex multis ideologiis."*

Gaudron: Hoc enuntiatum est valdê problematicum. Constat quidem fidei catholicae inesse aliquid supratemporale. Si unica certitudo dogmatica eo constat, quod Deus est Deus homini insitus, mihi hoc parum esse videtur. Ut hoc credam, non est necesse me esse catholicum. Veritas confessionis fidei mutari non potest ab ipso Papâ quoque.

SPIEGEL ONLINE: Benedictus veterem liturgiam defendit et fovit. Quid expectas Papam Franciscum de illâ esse facturum?

Gaudron: Benedictus actum perpetravit magni momenti eo quod declaravit omni sacerdoti esse ius liturgiam veterem celebrandi. Non licet Francisco hoc revocare.

SPIEGEL ONLINE: Franciscus hominibus homosexualibus significavit...

Gaudron: ...verbis suis sibi ipsi contradicit. Papa contendit se accipere doctrinam ecclesiae catholicae. Eâdem autem dicitur homosexualitas esse peccatum. Ex alterâ parte Franciscus significat homosexualitatem nihil esse falsi. At nobis ita ut Iudaeis et muslimis persuasum est homosexualitatem esse peccatum, haec persuasio non est doctrina sôli Fraternitati Pii propria. Aut doctrinam teneo neque comprobo homosexualitatem aut ab illâ desisto. At si desisto, non iam sum catholicus.

SPIEGEL ONLINE: Ergo sensu tuo ipse Papa non est catholicus?

Gaudron: Hem, hoc non dixerim. Ille dicit quidem se retinêre doctrinam. Equidem indico verbis illius inesse contradictionem.

SPIEGEL ONLINE: *Iohannes XXIII.* et *Iohannes Paulus II.* sanctificabuntur. Quid de hac re tibi videtur?

Gaudron: Nos hanc rem consideramus magnis cum reservationibus. Quod attinet ad Iohannem XXIII., praecipuè dicitur sanctificatum iri concilium quod ille exorsus est. Papa Iohannes Paulus II. significavit omnes religiones esse inter se aequales. At hoc non verum est. Catholica Ecclesia a Christo est condita ideoque vera. Hanc sapientiam si cognovi, non licet agere, quasi nihil referat, quae religio mihi sit. Catholica tantum ecclesia est vera.

SPIEGEL ONLINE: Tali sententiâ dicendâ non continuabitur dialogus inter religiones faciendus.

Gaudron: Nobis est propositum homines in Ecclesiam Catholicam ducere. Itaque debemus colloqui cum hominibus, qui aliis religionibus sunt addicti.

SPIEGEL ONLINE: Tolerantia dicitur res alia. Tu ideam scopumque huius dialogi dūcis ad absurdum.

Gaudron: Tolerare intellegor alterum, qui est aliis persuasionibus, respicere, quamvis sentiam easdem esse falsas, neque velle illum per vim convertere ad opiniones meas proprias. Scilicet hoc conveniat. At Catholica Ecclesia apud ipsos homines aliis religionibus addictos eo multum confidentiae amisit, quod dialogum cum illis habens saepe locuta est, quasi nos catholici nesciremus, quid esset verum idque quaerere demum deberemus unâ cum aliarum religionum fidelibus.

SPIEGEL ONLINE: Estne verum Fraternitatem Pii novis membris augeri?

Gaudron: Verum est, ideoque Sedes Vaticana nos non iam potest negligere. Fraternitas non rapidè augetur, sed continuo.

SPIEGEL ONLINE: Quam sentis causam esse huius augmenti?

Gaudron: Placet hominibus aliquem secundum fidem suam vivere consequenter. Multi dicunt ecclesiam novis membris auctum iri, si se aperuerit. At si ita esset, necesse esset magnam hominum multitudinem influere in ecclesias protestantium, ubi ea ipsa sunt, quae postulentur ab Ecclesiâ Catholicâ: connubium homosexuale et caelibatûs absentia. At id quod est nullis officiis obstrictum, nullam habet vim neque animum potest inflammare. Ubi doctrina valet tradita, ibi fiunt augmenta.

SPIEGEL ONLINE: Papa Benedictus semper magni aestimavit doctrinam traditam, tamen in Germaniâ catholici acervatim ecclesiam reliquerunt.

Gaudron: Ecclesia Germaniensis post quindecim vigintive annos collapsura est. Nec adveniunt sacerdotes neque fideles. Itaque non intellego, quare Franciscus dicat ecclesiam se nunc melius habere quam umquam antea. Hoc scilicet alienum sit a rerum veritate. Ecclesia vix habet subolem. Ad Catholicum Diem Iuventutis Mundanum celebrandum permulti eunt iuvenes, qui alioquin numquam in ecclesiam eunt nulloque modo curant Christum.

SPIEGEL ONLINE: Ergo mavis ecclesiam parvam fidelissimis destinata quam ecclesiam popularem, quae insit mediae societati?

Gaudron: Mâlo. Scilicet plurimum praeferrem magnam ecclesiam catholicorum verê fidelium, qualis fuerat ante Concilium Vaticanum Secundum. At si numerus catholicorum non augetur nisi fides enervatur, equidem praefero communitatem parvam.

Hanc relationem d.04.m.Oct., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „spiegel online“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: «*Pius-Bruder Gaudron: Die Kirche in Deutschland wird zusammenbrechen*».

DE URBE ROMA (III)

Symbola, quam e Wikipediâ encyclopaediâ liberâ excerpſit et Latinê reddidit Nicolaus Groß. Pars I, EL 44 (25.m.Dec. a.2010); Pars II, EL 47 (29.m.Apr. a.2011).

De religionibus in urbe Româ cultis

Antiquis temporibus religio Romana cum cultibus deorum coniuncta religio Romae frequentissima erat. Tamen in hac sede cultûs civilis valentissimâ in usu fuerunt etiam aliae religiones, velut *cultus Mithrae* et alii cultûs mysteriorum. Perquam maturê in hac urbe iam exorta est *communitas Christiana*, quae adversus Christianorum persecutiones celeriter exaugebatur.

Constantino Magno imperante fides Christiana in Imperio Romano florere coepit eodemque Imperio intereunte florere perrexit. Urbs compluries a gentibus paganis direpta et deleta denique facta est sedes civitatis ecclesiasticae praecipua. Itaque Româ in urbe aedificatae sunt ecclesiae innumerae, quibus conduntur sacra ecclesiastica omnium praestantissima.

Roma a.1797 a *Napoleone Bonaparte* expugnata post *Conventum Vindobonensem* a.1815 sub potestatem Papae reposita est. Itali cum inter occupationem Francogallorum affecti essent amore patriae exaucto, interim adunati bellum gesserunt cum Romanâ sede papali.


Deinde Papa in sedem Vaticanam recessit, quae a.1929 foederibus Lateranis comprobata est civitas sui iuris. Ex eo tempore Roma, praesertim sedes Vaticana, iterum est magna sedes Christianismi spiritualis.

Numerus incolarum urbis Romae quomodo mutatus sit

Historia Romae circa annum 800 (octingentesimum) a.Chr.n. incohata est, cum aliquot centum vel mille incolarum inter se foedus pepigissent. Inde ex eo tempore saeculis sequentibus haec urbs tantopere exaucta est, ut fieret megalopolis, quae habuit plus decies centenorum milium (i.e. milionis) incolarum. Cum saeculo quarto munera maioris momenti ab urbe Româ translata sunt ad urbem Constantinopolin et cum quinto saeculo Imperium Romanum occidentale dilapsus esset, numerus incolarum Romae valdê deminutus est; circa annum 530 Urbs habuit centum milia tantum incolarum.

Medio aevo ineunte Roma viginti tantum milia incolarum habens, si cum urbe Româ hodiernâ comparas, oppidum fuit parvum. Civitate ecclesiasticâ crescente demum numerus incolarum Romae denuo efflorescentis a piis peregrinatoribus desideratae usque ad saeculum undevicesimum exiens auctus est ad ducenta triginta milia. Sed vicesimo demum saeculo numerus per saeculum decuplatus est, ut Roma denuo haberet incolarum milionem.

Conspectu sequenti indicantur numeri incolarum secundum singulos annos. Usque ad annum 1858 indicantur numeri aestimati, ab anno 1871 usque ad annum 2001 numeri censu computati, numerus a.2005 indicatus computatus est a nationali instituto statistico (ISTAT).



Romae mutatio demographica, i.e. numerus incolarum Romae quomodo mutatus sit inter annos 1750 et 2005.

Annus	Incolae	Annus/Dies	Incolae
330	1.000.000	1858	182.600
410	400.000	31. m.Dec. 1861	194.500
530	100.000	31. m.Dec. 1871	212.432
650	20.000	31. m.Dec. 1881	273.952
1000	20.000	10. m.Febr.1901	422.411
1000–1300 incrementum		10. m.lun. 1911	518.917
1300	minus quam 50.000	1. m. Dec. 1921	660.235
1400	* 20.000	21. m.Apr. 1931	930.926


1526	50.000-60.000	21. April 1936	1.150.589
1528	** 20.000-30.000	4. November 1951	1.651.754
1600	100.000	15. Oktober 1961	2.188.160
1750	156.000	24. Oktober 1971	2.781.993
1800	163.000	25. Oktober 1981	2.840.259
1820	139.900	20. Oktober 1991	2.775.250
1850	175.000	21. Oktober 2001	2.546.804
1853	175.800	31. Dezember 2005	2.547.677

(*) Schisma a.1309–1376, pestis a.1348/50

(**) Magna direptio (*Sacco di Roma*) a.1527













Palatium Senatorium curia urbis Romae



Vexillum urbis Romae

Sodalicia urbium

Urbs Roma sodalicio coniuncta est cum his urbibus quae sequuntur:

-  Achacachi, Bolivia
-  Athenae, Graecia
-  Singidunum, Serbia
-  Urbs Cincinnati, Civitates Unitae
-  Novum Eboracum, Civitates Unitae
-  Urbs Parisiorum, Francogallia
-  Pechinium, Res publica popularis Sinarum
-  Urbs *Plowdiw*, Bulgaria
-  Seulum, Corea Australis
-  Praefectura Tochii, Iaponia



Mausoleum Hadriani



Ecclesia St. Pauli extra muros

Monumenta visu dignissima

Conspectus. Roma traditur condita esse a.753 a.Chr.n. in uno ex septem collibus. At rebus effossis archaeologi concludunt millesimo iam anno a.Chr.n. hanc regionem ab hominibus incultam esse. Praecipuê in *colle Palatino* inque valle septentrionali inventae sunt antiquorum aedificiorum parietinae.

Hoc eo effectum est, quod collis Palatinus aetate caesareâ fuit sedes imperatorum et in valle inter Palatinum et *Capitolinum* situm erat *Forum Romanum*, quod antiquis temporibus fuit regio urbis omnium frequentatissima.

Pro parte urbis Romae mediâ habetur regio intra *Murum Aurelianum* sita; is tertio saeculo p.Chr.n. constructus est circa septem colles, qui appellantur *Capitolinus*, *Quirinalis*, *Viminalis*, *Esquilinus*, *Caelius*, *Aventinus*, *Palatinus*. Regio, quae plurimum valuit ad Romae historiam, magnam partem se extendit in *fluminis Tiberis* ripâ sinistrâ.

Hîc inveniuntur monumenta paganicae aetatis antiquae omnium plurima et maxima. E contrario christiana aedificia disiecta sunt in utroque Tiberis latere. At *Civitas Vaticana*, cui inest *Ecclesia Cathedralis Sancti Petri* ex longinquo conspicua, sita est in fluminis latere dextro. Pars Romae antiqua et *Ecclesia cathedralis Sancti Petri* et *Civitas Vaticana* a.1980 ab UNESCO declaratae sunt esse partes *heredii cultus civilis mundani*.

Pars urbis exterior et Romae circumiecta sita sunt extra *Murum Aurelianum*. Hac in regione numerus aedificiorum est multo minor, tamen hîc illîc talia quoque inveniuntur. At hîc sitae sunt numerosae ecclesiae, e.g. *Basilica Sancti Pauli extra muros*.

„*Magna Meschita*“ a.1995, i.e. 1150 annis postquam muslimi frustra Romam obsederunt, usque ad annum 2005 fuerat Europae meschita omnium maxima necnon est adhuc sedes fidei islamicae in Italiâ sita.



Platea Venetia, cui inest Monumentum Victorii Emanuelis II

Theatra. Roma maximam vim habet ad Italorum cultum civilem. In *Theatro melodramatis Romano* (*Teatro dell'opera di Roma*), quod est unum ex Italiae domibus melodramatum maximis, actiones melodramatum fiunt auditu atque spectatu dignissimae; quales aestate etiam fiunt in *Thermis Caracallae*. Praeterea Romae sunt viginti ferè theatra et sex oeci concentuum musicorum, quorum praepositi mensibus aestivis exceptis praebent programmata valdè variabilia.

Theatrum Argentinum conditum est a.1732. Nomen spectat ad turrim a.1503 pro *Iohanne Burckard Strateburgensi sive Argentoratensi*, magistro caerimoniarum papali, aedificatam, quae hodie forinsecus non iam est visibilis (est pars *Palatioli Burcardi*, quae situm est ad Viam Sudarii).

Mense Aprili anni 2002 in parte Urbis septentrionali apertum est *viridarium concentuum musicorum*; haec area, quae habet circiter 50.000 metra quadratica, cum cetera tum tres *oecos concentuum* complectitur, qui 700 et 1.200 et 2.700 sedes habentes aedificati sunt secundum consilia architecti Genuensis, cui nomen est *Renzo Piano*.

Musea

Musea Romae omnium antiquissima sunt *Musea Capitolina*, quae instituta sunt a.1471; his museis necnon *Museis Vaticanis* insunt artificiorum collectiones Romae omnium praestantissimae.

In *Villâ Iuliâ*, i.e. villâ Papae Iulii II., quae aedificata est medio saeculo decimo sexto, invenitur collectio artificiorum etruscorum et romanorum excellens. Collectio autem artificiorum gentis Borghesiana exponitur in eiusdem palatio, quod exstructum est ineunte saeculo decimo septimo. Nomen huius collectionis est *Galleria Borghese*; quae maximam partem constat ex picturis sculpturisque.

In monasterio, quod constructum est secundum consilium ipsius *Michelangeli*, invenitur *Museum Nationale Thermarum*. Hôc in museo exponuntur sculpturae graecae romanaeque. Nec minoris momenti sunt porticûs picturarum, quas licet spectare in *Palatio gentis Doriae et Pamphili* et *Palatio gentis Colonnae*, collectio statuarum aenearum renascentiae aetate artificiosissimè fabricatarum, quae insunt ipsi *Palatio Plateae Venetiae* necnon collectio picturarum, quâ aspectandâ oculi delectantur hominum philotheorum *Palatium Barberinorum* visentium.

(QUARTA PARS SEQUETUR !)

**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM
DE URBE ROMA SCRIPTAM
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

DE RAPTORE HOTZENPLOTZI

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoria, quae appellatur

LEO LATINUS

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur **LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM**

De Raptore Hotzenplotzio

Hanc fabulam puerilem Theodiscê scripsit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß

„De Raptore Hotzenplotzio“ (titulus originalis: „*Der Räuber Hotzenplotz*“) est fabula puerilis Otfriedi Preußler Germani auctoris. Haec fabula a. 1962 primum edita est.

Raptor Hotzenplotzius rapinationibus suis audacissimis territat homines totius regionis. Cum iste raptaverit etiam aviae machinulam cofeariam, Casparulus atque Iosephulus indignatissimi statuunt, ut raptorem capiant et tradant astyphylaci Dimpfelmosero. Infeliciter ipsi raptori Hotzenplotzio contingit, ut ambos capiat. Sed quia iidem integumenta capitum inter se permutaverunt, ipsi a raptore inter se confunduntur; ita fit, ut Hotzenplotzius malo mago Petrosilio Zwackelmanno sub nomine Iosephuli vendat Casparulum pro uno tantum sacco tabaci sternutatorii.

Casparulus, cum aliquanto post in castello magico forte fortunâ inveniatur fatam Amaryllidem, quae a mago in bombinam mutata est, non cessat illam adiuvere...

Haec fabula laureata, quae iocorum tam plena est tantamque habet expectationem, ut animi puellarum puerorumque audientium legentiumve vehementer soleant inflammari, usque nunc in triginta quattuor (34) linguas translata erat. Ergo haec versio Latina, quam manibus tenes, cara Lectrix, care Lector, est translatio Hotzenplotzii tricesima quinta eademque Latina. Si Tibi placuerit, commendamus Tibi alias versiones Latinas fabularum modernarum, quae in domo Leonis Latini editae sunt, e.g. “Recitatore” Bernhardi Schlink (orig. “*Der Vorleser*”) necnon “Fragrantiam” Patricii Süskind (orig. “*Das Parfum*”) fabulas theodiscas veste Latinâ indutas.

Ergo visas, quaesumus, domûs Leonis Latini editoriae situm interretialem:
www.leolatinus.com



Otfried Preußler, *Der Räuber Hotzenplotz*
© 1962 by Thienemann Verlag (Thienemann Verlag GmbH)
Stuttgart/Wien, www.thienemann.de

Editio Latina:
Copyright © 2013 by LEO LATINUS
spqr@leolatinus.com
ISBN 978-3-938905-33-3



Recitator

Fabula romanica
quam theodiscê scripsit
Bernhard Schlink

in Latinum convertit
Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoriâ, quae appellatur
LEO LATINUS

Senden in oppido Bavarïæ Suebicæ
a. 2012

Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !

**HANC EPISTULAM LEONINAM
UNDESEXAGESIMAM**

EL 59

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT

d. Solis, 06. m.Oct. a.2013

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>